



## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Historiae Ecclesiasticae Pars ...**

Historiae Ecclesiasticae Pars Tertia, Qva Continentvr Hermiae Sozomeni  
Salaminij lib. 9. Euagrij Scholastici Epiphanensis lib. 6

**Christopherson, John**

**[Köln], 1569**

De signis quæ Mauricij imperium indicabant. Caput XXI.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-12718**

aliarum rerum explicationem simus polliciti ) fortasse exponemus . Tantum tamen hoc loco dicam , Tamo Chosroem in acie non exercitus Romani fortitudine , sed sola ducis pietate , & in Deum fide cecidisse . Adaarmanem autem viribus in pteleo profligatum , ac multis amissis copijs versum in fugam , idque cum non solum Alamundarus , barbarorum Scenetrarum dux Mauricium propterea prodiderat , quod fluuium Euphratem traijceret , & contra Scenetas barbaros , qui ex aduersis partibus militabant , ei subsidio venire noluit ( isti enim Scenetræ ab alijs propter equorū velocitatē euinci nō possunt , neq; sicubi interclusi sint , capi , sed hostes , dū fuga sit ipsis facienda , longè præuertut ) verumetiam Theodoricus dux Schytharum , qui intra teli iactum confestere non audebat , sed se cum suis illico fugæ mandauit .

*Designis quæ Mauricij imperium indicabant.*

*Caput XXI.*

**S**igna quoque diuinitus ostentata antegressa sunt , quæ Mauricium Imperatorem fore præsignificauit . Nam ad multam noctem ei intra sanctuarium templi sanctæ & castissimæ virginis , & Deiparæ Mariæ dedicati , quod quidem ab Antiochenis templū Iustiniani nuncupatur , thus incensum offerenti , auleum sacræ mensæ igne conflagrare visum est , adeò ut ingens admiratio ac stupor illum incesserit , visionemque magnopere extimuerit . Cui astans Gregorius illius urbis Episcopus dixit , visionē cœlitus demissam esse , & summum ei splendorem atque eximum portendere . Apparuit præterea versus Orientem re ipsa Christus Deus , vlationem de hostibus requirens . Qua quidem visione imperium Mauricij perspicuè præmonstratum est . Nam à quo , quæso , nisi ab imperatore & ab homine , qui ipsum piè colebat , rem eiusmodi postularet ? Quinetiam mihi de his rebus percontanti , alia res sanè memorabiles , & dignæ historia , à parentibus suis narratae sunt . Nam pater eius memorauit , se eo tempore , quo Mauricius conceptus fuit , in somnio vidisse vitam maximam ex suo

Q q 4 cubili

EVAGR. HISTORIAE

111  
cubili pullulascere, & botros ferè innumerabiles & maturos ex ea dependere. Mater autem narravit, terram tempore partus sui suaveolentem odorem, peregrinum, & alternis vicibus variatum ex se efflasse: atque sàpe larvam, quam Græci Εμπούσαν vocant, infantem de loco in locum mouisse, tanquam illum voraturam, minime tamen ei noce-re posse. Itemque Symeones, qui propè Antiochiam in columna habitauit, vir ad res quasque prudenter ac studiosè exequendas aptissimus, & omnibus diuinis virtutibus eximè ornatus, multa cum verbis, tum factis expressit, quæ Mauricium imperatorem fore plane iudicarunt. De quo Symone, quæ sunt ad commemorandum accommodata, proximus liber explicabit.

*De Mauricij & Augustæ creatione*

*Caput XXII.*

**C**VM autem Tiberius iam propè ad extremum spiritum edendum veniret, Mauricio, qui ad imperium gubernandum iam elatus fuit, filiam Augustam collocauit in matrimonium, & imperium pro dote tribuit: qui tametsi ad exiguum tempus in administrando imperio etatem propagauit, tamen pro rebus præclarè à se gestis (quas quidem hoc sermone commode complecti non possumus) tum immortalem nominis sui memoriam, tum optimam reip. hæreditatem, Mauricium nempe, quem imperatorem declarauerat, recip. reliquit: quique etiam sua ipsius nomina illis impertivit: siquidem Mauricium, Tiberium, Augustam, Constantinam appellauit. Quæ verò res ab illis geriantur, proximus liber, Dei iuuante gratia, perdocebit.

*De temporis, à Iustino Iuniore usque ad Mauricium, suppuratione.*

*Caput XXIII.*

**V**T autem ordinem temporum accuratissimè complectamus, intelligendum est, Iustinum Iuniorem per se solum ad annos duodecim & menses decem cum diadio regnasse, atque vñà cum Tiberio ad annos tres & vndecim menses, totumque tempus regni sui annos sedecim &